



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1860

CLXXXVIII. Jacob Rosenthal, Bürger zu Königsberg, erbittet die bischöfliche
Genehmigung zu einer Altarstiftung, am 7. August 1407.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55515](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55515)

CLXXXVIII. Jacob Rosenthal, Bürger zu Königsberg, erbittet die bischöfliche Genehmigung zu einer Altarstiftung, am 7. August 1407.

Venerabili domino magistro Johanni Winkeleri, sacre theologie professori, vicario et administratori reuerendi in Christo patris et domini domini Nicolai, dei gratia Episcopi ecclesie Camynensis in spiritualibus et temporalibus generali, Jacobus Rosenthal, ciuis Ciuitatis konighefberg, vestre dyocesis, debitam obedientiam, beniuolum obsequium humiliter etc. — Reuerendissime pater et domine. — anime — proprie In salutem animeque vxoris mee Jutten ac meorum progenitorum ad laudem, gloriam et honorem omnipotentis dei sueque matris beatissime et gloriosissime virginis marie, nec non beatorum Jacobi majoris apostoli dei, sancti nycolai confessoris, nec non katherine sororisque Barbare sanctarum virginum de expressis honorabilium et religiosorum virorum dominorum, domini Reymari de Gunterfberge, fratris ordinis sancti Johannis baptiste sancte domus hospitalis iherosolomitane per Saxoniam, flauoniam, marchiam ac pomeraniam, nec non domini fratris cristofori, plebani parochialis ecclesie dicte ciuitatis konighefberg, assensu et voluntate, sicut alias in literis desuper confectis predictorum dominorum patentibus patenter apparebit Ad altare fundandum, erigendum et dotandum seu construendum in nouo choro ecclesie parochialis sepefate, gratia dei suffragante, dedi, deputaui et assignaui, presentibus do, deputo et assigno CCC markas et L markas pronunc monete stettynensis tamquam fortem et summam principalem Ad emendum Iuste empcionis titulo, ad comparandum redditus annuales perpetuos altaris antedicti, sic quod altaris sati Iuspatronatus siue Jus presentandi ad me et ad meos veros heredes debeat pertinere. Me vero defuncto et meis heredibus defunctis domino disponente ad discretos viros consules ciuitatis konighefbergh iuspatronatus siue Juspresentandi iugiter pertinebit. Verum eciam altaris memorati altarista, qui pro tempore fuerit, propria in persona konighefberg debet residere. Si contingeret eum alibi residere, extunc nemo, nisi qui per priorem electus fuerit, ipsum altare debet officiare et redditus altaris debent diuidi sic, quod medietas reddituum vicario debeant dari alia medietas officianti debet assignari absque ipsius vicarii contradictione. Vt vero supradictam donationem vna cum omnibus suis clausulis auctoritate vestra ordinaria approbare et confirmare et ratificare dignemini, reuerendissime vestre paternitati presentibus supplico studiose petensque humiliter et deuote, quatenus ad dictum altare instituere dignemini honestum virum dominum henricum Lubbechow, presbiterum, quem vestre paternitati presentibus duxi presentandum. In quorum omnium et singulorum euidens testimonium sigillum meum presentibus est appensum. Sub anno domini M^o etc. septimo, ipso die Dominica ante festum Sancti laurencii martiris glorioli.

Nach dem Originale des Königsberger Stadtarchives No. 151.